

urbes studiis deditas, et in melius reformatas imagines oppidorum, quas non fucus expresserit, sed devotio coloraverit fidei: arma victoriarumque iura toto orbe currentia, captivum principem mundi, et spiritualia nequitiae quae sunt in coelestibus, obedientia vocis humanae imperio, subditas dominationes variarumque virtutum species, non sericis, sed moribus emicantes. Fulget castitas, fides splendet, et induta mortis exuviis devotio fortitudinis iam resurgit. Unde Dei triumphus fecit omnes prope iam homines triumphare crux Domini.

2899 Refert ergo considerare qualis ascendit. Nudum video: talis ergo ascendat qui saeculum vincere parat; ut saeculi adiumenta non quaerat. Victus est Adam qui vestimenta quaesivit: vicit ille qui tegumenta deposuit. Et talis ascendit quales nos, auctore Deo, natura formavit: talis in paradiso primus homo habitavit, talis ad paradisum homo secundus intravit. Et ut non sibi soli, sed omnibus vinceret, manus extendit, quo omnia traheret ad se; ut nodo mortis exuta, iugo fidei suspensa, coelestibus ea quae prius erant terrena sociaret.

2900 Scribitur etiam titulus: solet praecedere pompa victores; at vero currum Domini triumphalem praeibat bona pompa resurgentium defunctorum. Solet etiam titulus subiugarum gentium numerum designare. Sit in illis triumphis ordine quodam digesta miserabilis devictarum, pereuntium contumeliosa captivitas nationum: hic redemptarum gentium vernat gratia: digni tanto triumpho iugales, ut coelum, terra, maria, inferna a corruptela mutentur ad gratiam.

2901 Scribitur autem titulus, et super crucem ponitur, non infra crucem; quia principium super humeros eius. Principium autem quid est, nisi sempiterna virtus eius, atque divinitas? Unde et

ipse interrogatus quis esset, respondit: *Principium, qui et liquor volubis* (IOANN. VIII, 25). Legamus hunc titulum:

2902 *Iesus, inquit, Nazarenus rex Iudaeorum.* Merito supra crucem titulus; quia non humani corporis, sed divinae potestatis est regnum quod habet Christus. Merito supra crucem titulus, quia licet in cruce erat Dominus Iesus, super crucem tamen regis maiestate radiabat. Vermis in cruce, scarabaeus in cruce: et bonus vermis qui haesit in ligno, bonus scarabaeus qui clamavit e ligno. Quid clamavit? *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Clamavit latroni: *Hodie mecum eris in paradiso.* Clamavit quasi scarabaeus: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Et bonus scarabaeus, qui lutum corporis nostri ante informe ac pigrum virtutum versabat vestigiis: bonus scarabaeus, qui de stercore erigit pauperem. Eredit Paulum, qui aestimatus est ut stercorea: erexit et Iob qui sedebat in stercore. Non mediocriter ergo titulus.

2903 Ipse autem crucis locus, vel in medio, ut conspicuus omnibus; vel supra Adae, ut Hebraei disputant, sepulturam. Congruerat quippe ut ibi vitae nostrae primitiae locarentur, ubi fuerant mortis exordia.

2904 Dividuntur vestimenta, aliis aliud sorte deferunt; Dei enim spiritus non humana opinione comprehenditur, sed quasi quodam eventu inopinatus illabitur. Et fortasse milites isti quatuor Evangelistarum habebant typum, qui scripserunt titulum, quem omnes legamus. Legit titulum regis Iudaeorum, cum lego: *Regnum meum non est de hoc mundo* (IOANN. XVIII, 36). Legit causam Christi super caput eius scriptam, cum lego: *Et Deus erat Verbum* (IOANN. I, 1): caput enim Christi Deus est.

Isti ergo servabant Iesum et hodie

servant, ne cui forte labatur, ne cui de passione descendat, quod petebat populus Iudaeorum. Mihi plane Christus in passione moriatur, ut post passionem resurgat. Noluit descendere sibi, ut moreretur mihi. Nobis ergo iam Christus servatur: propter nos dividuntur vestimenta eius. Non possunt singuli habere omnia, et ideo super tunicam sors agitur; quia non pro hominis voluntate divisio fit Spiritus sancti. Divisiones enim gratiarum sunt, sed operatus est Spiritus, dividens singulis prout vult.

2906 Intuere nunc Christi vestimenta divisa: Ubi illa quaeram? Quaere in Matthaeo, invenies penes ipsum solum chlamidem coccineam (MATTH. XXVII, 28): penes Ioannes vestem purpuream (IOANN. XIX, 2): penes Marcum purpuram tantum (MARC. XV, 17): penes Lucam vestem albam (LUC. XXIII, 11), hac enim sola pro sua fuit portione contentus. Quantos itaque Christus sua veste vestivit? Puto autem quod non quatuor tantum, sed omnes vestivit milites, et omnibus abundavit. Sed revertamur ad Evangelistas.

2907 Mystice itaque istae quatuor partes, non partes vestium, sed qualitates mihi videntur esse virtutum. Alius enim de regno sublimius scripsit: alius de hominis institutione diffusius; Lucas nitorem sibi sacerdotalis vestis elegit; Marcus vero verborum textum non desideravit; denique Ioannes quasi quasdam intexit sententias, quibus vestiat fidem nostram. Nonne tibi videtur intextum illud: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum, et omnia per ipsum facta sunt?* (IOANN. I, 1-3). At vero Marcus tanquam purpurae fulgore contentus, sine ulla intextione verborum: *Initium, inquit, Evangelii Iesu Christi Filii Dei* (MARC. I, 1).

2908 Ergo vestimenta divisa sunt Christi,

vel gesta, vel gratia, quia tunica non potuit dividi, fides, scilicet, quoniam non pro portione singulorum, sed pro iure communis est omnium; quod enim non dividitur, singulis manet integrum.

2909 Et bene, *Desuper texta*; sic enim textur fides Christi, ut de divinis ad humana descendat; ex eo quod ante saecula ex Deo natus, posteriori tempore susceptionem carnis assumpserit. Significatur igitur nobis eo quod non debeat fides scindi, sed solida permanere.

2910 *Amen, amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Pulcherrimum affectandae conversionis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur, et uberius est gratia quam precatio; semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur. Ille enim rogabat ut memor esset sui Dominus, cum venisset in regnum suum; Dominus autem ait illi: *Amen, amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Vita est enim esse cum Christo; ideo ubi Christus, ibi vita, ibi regnum. Cito igitur ignoscit Dominus, quia cito ille convertitur (MATTH. XXVII, 44; MARC. XV, 32).

2911 Unde et illud solvi videtur, quia alii duos conviciantes inducunt latrones, iste unum conviciantem, et unum rogantem. Fortasse et iste prius conviciatus est, sed repente conversus est. Nec mirum si converso culpam ignoscebat, qui insultantibus veniam relaxabat. Potuit etiam de uno pluraliter dicere, sicut illud est: *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum* (PSAL. II, 2); solus enim Herodes rex, et princeps Pilatus in Apostolorum Actibus conspirasse adversus Christum Petri voce produntur (ACT. IV, 27). Sic et ad Hebraeos habes, in capris pelibus ambulabant, secti sunt, et leonum molas obstruxerunt (HEBR. VI, 37); cum solus Elias melotidem habuisset (IV REG. I, 8), Isaïas sectus esse (HEBR. VI, 37), Daniel a leo-

nibus intactus mansisse doceatur (DAN. XI, 22).

2912 Quam execrabilis in facto iniquitas Iudaeorum, ut quasi latronem crucifigerent omnium Redemptorem! Bonus tamen in mysterio latro, qui insidiatus est diabolo, ut vasa eius auferret. Mystice autem latrones duo duos populos peccatores significant per baptismum crucifigendos esse cum Christo: quorum dissensio diversitatem pariter credentium signat. Denique unus a sinistris, alter a dextris erat (IOANN. XIX, 18). Increpatio quoque futurum crucis scandalum etiam circa credentes revelat.

2913 Et acetum offerebant Iudaei (MATTH. XXVII, 48). Bene ad consummanda omnia et corruptio sinceritatis hauritur; ut omnia curti quae vitata fuerant, figerentur. Acetum itaque bibitur, vinum cum felle non bibitur (Ibid. 35); non quia fel, sed quia admixtae vino amaritudines recusantur. Nam amaritudines vitae nostrae pro corporis utique conditione susceperunt. Denique ipse ait: *Dederunt in escam meam felle, et in siti mea potaverunt me aceto* (PSAL. LXXVII, 22). Sed sinceritati non debuit amaritudo misceri, ut ostenderetur sine amaritudine immortalitas resurgentium futura: quae quoniam immortalitas in vase coaerantur humano, separatur in Christo. Ergo acetum bibitur, hoc est vitium corruptae per Adam immortalitatis aboletur in calamo; ut de corpore absorberetur humano. Nos quoque vitia nostra per incuriam mentis corporisque concreta transfundamus in Christum: transfundamus per baptismum, ut crucifigamur in Christo: transfundamus per poenitentiam, ut ab illo nobis vini sanguinisque coelestis incorrupta sinceritas refundatur.

2914 Denique ubi acetum bibit: Consummata sunt, inquit, omnia (IOANN. XIX, 30); eo quod assumptae mortalitatis im-

pletum esset omne mysterium, et exhaustis omnibus vitis, immortalitatis sola laetitia remanisset. Et ideo ait:

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Et bene commendatur spiritus, qui reservatur; quod enim commendatur, utique non amittitur. Bonum ergo pignus est spiritus, bonum depositum. Unde et illic ait: *O Timothee, bonum depositum custodi* (II TIM. I, 14). Commendatur enim Patri spiritus, et ideo ait: *Quoniam non delinquis in inferno animam meam* (PSAL. XV, 10). Vide autem magnum mysterium. Nunc commendat in manibus Patris spiritum suum, nunc in Patris gremio sedet; quia totum alius non capit Christum. Denique: *Ego, inquit, in Patre, et Pater in me.* (IOANN. XIV, 10). Commendatur ergo Patri spiritus. Sed cum sit in superioribus, illuminat et inferna, ut universa redimantur; etenim Christus omnia, et in Christo omnia (COLOSS. III, 11), licet in singulis Christus operetur. Caro moritur, ut resurgat: spiritus Patri commendatur, ut coelestia quoque ab iniquitatis vinculo solverentur, et pax fieret in coelo, quam terrena sequerentur.

Et hoc dicto tradidit spiritum Et bene tradidit, qui non invitus spiritum emisit. Denique Matthaeus ait: *Emisit spiritum* (MATTH. XXVII, 50); quod enim emittitur, voluntarium est: quod amittitur, necessarium. Propterea addidit: *Magna voce* (Ibid.). In quo vel professio gloriosa usque ad mortem se pro nostris descendisse peccatis (ergo nec ego erubescam fateri quod Christus non erubuit voce magna profiteri), vel evidens manifestatio contestantis Dei secessionem divinitatis [quoad affectum, i. e. protectionem subtraendo. Cfr. Magist. Sentent. III. d. 21] et corporis. Sic enim habes: *Clamavit Iesus voce magna dicens: Deus, Deus meus, respice in me: quare me*

dereliquisti? (MATTH. XXVII, 46). Clamavit homo divinitatis separatione [permissione] moriturus. Nam cum divinitas mortis libera sit, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet; quia vita divinitas est.

2917 Iam quae sequuntur, ostendunt quia propter impietatem hominem finis saeculi sit futurus. Itaque significatur per Domini passionem occasura praesentia, ut orientur futura. Tenebrae igitur offusae sunt oculis perfidorum, ut fidei lumen resurgeret. Sol occidit sacrilegis, vel refugit; ut funesti spectaculum sceleris, obumbraret. Petrae scissae sunt (MATTH. XXVII, 51), ut per praecepta saeculorum ostenderetur futurum, quoniam verbi vis peccatorum dura penetraret; quo facilius ex cavis petrarum illi venatores quos Ieremias praedixit, Domino venarentur (JEREM. XVI, 16). Monumentorum autem reseratio (MATTH. XXVII, 52) quid aliud, nisi claustris mortis effractis, resurrectionem significat mortuorum, quorum in aspectu fides, in processu typus, quod in sanctam prodeundo civitatem, praesentium specie declarant in illa Ierusalem quae in coelo est, futurum perenne diversorium resurgentium? Etiam velum scinditur, quo vel duorum populorum divisio, vel mysteriorum Synagogae profanatio declaratur. Scinditur ergo velum vetus; ut Ecclesia nova fidei suae vela suspendat. Synagogae velamen auferitur; ut religionis interna mysteria revelato mentis cernantur obtutu. Denique iam etiam Centurio Dei Filium quem crucifixerat, confitetur. O duriosa saxa pectora Iudaeorum! Finduntur petrae, sed horum corda obdurantur. Iudex arguit, credit minister, proditor scelus suum morte condemnat, elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta reserantur: Iudaeorum tamen immobilis duritia manet orbe concusso.

2918 Stabant autem et mulieres haec videntes: stabat et Mater, cum studio pietatis sua pericula posthaberet. Sed et Dominus pendens in cruce, qui sua pericula contemneret, pio Matrem commendabat affectu (IOANN. XIX, 26, 27). Quod non otiose Iohannes pluribus prosecutus est; alii enim mundum describere concussum, coelum tenebris obductum, refugisse solem. Addiderunt Matthaeus et Marcus, qui humana atque moralia uberius prosecuti sunt: *Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti?* (MATTH. XXVII, 46; MARC. XV, 34). Ut ad crucem Christi susceptionem pervenisse credemus conditionis humanae. Lucas autem competere evidenter asseruit latroni veniam sacerdotum intercessione donatam (LUC. XXIII, 43), et Iudaeis persecutibus eodem munere indulgentiam postulatam (Ibid. 36).

2919 Iohannes ergo, qui plenus divina penetravit mysteria, non immerito laboravit, ut quae Deum generaverat, mansisset eam Virginem declaret. Solus ergo me docet, quod alii non docuerunt, quem admodum in cruce positus appellaverit Matrem (IOANN. XIX, 26), pluris putans quod victor suppliciorum atque poenarum, victor diaboli, pietatis officia dividebat, quam quod regnum coeleste donabat. Nam si religiosum est quod latronia venia donatur a Domino, multo religiosius quod Mater honoratur a Filio.

2920 Nec praeposterum iudicetur, quod prius latronis absolutionem quam Matris appellationem scripsi; qui enim venerat salvos facere peccatores, non absurdum si prius in meis scriptis susceptum munus in redimenda salute peccatoris implevit. Denique ipse ait: *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?* (MATTH. XII, 48). Quia non venerat vocare iustos, sed peccatores. Sed ibi pro loco; hic et in cruce non immemor Matris, appel-

lat eam dicens: *Ecce filius tuus* (IOANN. XIX, 26); et Ioanni: *Ecce mater tua* (Ibid. 27). Testabatur de cruce Christus, et testamentum eius signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniae, sed vitae: quod non atramento scribitur, sed Spiritu Dei vivi: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis* (PSAL. XLIV, 3).

2921 Sed nec Maria minor quam Matrem Christi decebat, fugientibus apostolis ante crucem stabat, et piis spectabat oculis Filii vulnera; quia exspectabat, non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat se et sua morte publico muneri aliquid addituram. Sed Iesus non egebat adiutore ad omnium redemptionem, qui dixit: *Factus sum sicut homo sine adiutore, inter mortuos liber* (PSAL. LXXXVII, 5). Suscepit quidem Matris affectum, sed non quaesivit hominis auxilium. Habemus igitur pietatis magistrum: docet lectio quid maternus debeat affectus imitari, quid sequi reverentia filiorum; ut illae se offerant in filiorum periculo, illis amplius sollicitudo materna quam suae mortis moestitia sit dolori.

2922 Quo loco uberrimum testimonium Mariae virginitatis adhibetur. Neque enim abrogatur uxor marito, cum scriptum sit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet* (MATTH. XIX, 6); sed quae propter mysterium coniugium praetexuit, completis mysteriis iam coniugio non egebat. Aut si moralia sequimur, in moerore castitatis imperatur.

2923 Mysticum tamen est quod commendatur Ioanni inter ceteros iuniori: quod non otiosis auribus debemus accipere. Periculosa est enim mulieribus copula adollescentis, et species iuventutis: ne qua fortasse curiosa exempli, incuriosa mysterii, quae luxuriari in Christo cu-

piens, Mariae speciem praetendat, non imitetur affectum, sicut vulgus nunc male audit mulierum, relicto seniore marito ut iuniorem sequantur. Discat ergo Ecclesiae hic esse mysterium, quae populo seniori specie ante copulata, non usu, posteaquam peperit Verbum, et in corporibus ac mentibus hominum per fidem crucis et sepulcrum Dominici corporis seminavit, ex praecepto Dei societate populi iunioris elegit.

Quaero etiam cur ante mortem non inveniamus esse percussum, post mortem inveniamus? (IOANN. XIX, 34). Nisi forte ut voluntarius exitus eius magis quam necessarius fuisse doceatur, et ordinem mysticum noverimus; quia non ante altaris sacramenta quam baptismum: sed baptismum ante, sic poculum. Deinde ut advertamus quia licet corporis eius fuerit natura mortalis, licet qualitas similis, dissimilis tamen gratia. Nam utique post mortem sanguis in nostris corporibus congelascit: ex illo autem incorrupto licet corpore, sed defuncto, omnium vita manabat. Aqua enim et sanguis exivit (Ibid.): illa quae diluat, iste qui redimat. Bibamus ergo pretium nostrum, ut bibendo redimamur.

Quid sibi etiam vult, quod non apostoli, sed Ioseph et Nicodemus Christum sepeliunt? (IOANN. XIX, 38, 39). Unus iustus et constans, alter in quo dolus non erat: talis enim Christi est sepultura, quae fraudem iniquitatemque non habeat. Obstruitur igitur tergiversandi locus, et domesticus Iudaei testimonio revincuntur, nam si apostoli sepelissent, dicerent utique non sepultum, quem sepultum raptum esse dixerunt.

Iustus autem Christi corpus operit sindone, innocens ungit unguento (IOANN. XIX, 40); namque haec non otiose distincta reperimus; quia iustitia vestit Ecclesiam, innocentia gratiam subministrat.

Vesti ergo et tu Domini corpus gloria sua, ut et ipse sis iustus; etsi mortuum credis, operi tamen divinitatis plenitudine suae. Unge illud myrrha et aloe, ut bonus odor Christi sis. Bonum lintum misit Ioseph ille vir iustus, et fortasse illud quod Petrus vidit e caelo ad se esse demissum, in quo erant genera quadrupedum et ferarum et volucrum, ad similitudinem gentium figurata (ACT. X, 11). Mystico igitur unguento illo pistico consepelitur Ecclesia, quae diversitatem populorum fidei suae communionem sociavit.

2927 De hoc Ioseph in Ioanne solo invenio quod occultus venerit ad Pilatum propter metum Iudaeorum (IOANN. XIX, 38). Quomodo iustus latebram periculi timore quaesivit? Ego autem puto quod ideo occulte petierit ut corpus impetraret, non ut periculum caveret. Et tamen quid mirum si occultabatur iustus, quando occultabatur et apostoli iustorum magistri? Veni et tu: vel sero, vel nocte, vel quacumque hora veneris, invenies Iesum ad suscipiendum paratum, nec minorem serius venientibus mercedem pia largitate solventem; nam et qui sexta hora venit, non est mercede fraudatus; et qui undecima, plenitudinem mercedis accepit (MATTH. XX, 49). Sed etiam Nicodemus nocte venit (IOANN. III, 2). Nox erat, quia adhuc non erat resurrectio. Denique resurrexit Christus, et iustus, ait: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit* (ROM. XIII, 12).

2928 Hunc Ioseph iustum Lucas dixit (LUC. XXIII, 50), Matthaes divitem (MATTH. XXVII, 57). Et merito dives hoc loco dicitur, ubi corpus suscepit Christi; suscipiendo enim divitem, nescivit fidei paupertatem. Dives est ergo qui iustus est. Iustus igitur sindone involvit (IOANN. XIX, 40). Israelita vero et diversos misceat virtutum odores, et aloe mittit

quasi libras centum, hoc est, perfectae fidei quantitatem. Et ligaverunt corpus Iesu iuxta consuetudinem spiritualium Iudaeorum, non utique nodis perfidiae, sed fidei ligaturis. Et posuerunt in horto (Ibid. 41), cui frequenter Ecclesia comparatur, quae diversorum habeat poma meritum, floresque virtutum.

Nec otiose alius monumentum novum dicit (Ibid.), alius monumentum Ioseph (MATTH. XXVII, 60). Non habebat igitur Christus tumulum suum; etenim tumulus his paratur qui sub lege sunt mortis: victor mortis tumulum suum non habet. Quae enim communio tumulo et Deo? Denique Ecclesiastes ait de eo qui meditatur in bonis: *Et sepultura non est illi* (ECCLE. VI, 3). Specialis igitur praeter communem omnium mortem mors Christi est: et ideo non cum aliis sepelitur, sed solus tumulo includitur; omnia enim in similitudinem hominum habuit incarnatio Domini, sed similitudo erat cum differentia. Natus est ex Virgine, similitudine generationis, dissimilitudine conceptionis. Curabat aegros, sed imperabat. Aqua Ioannes baptizabat, hic spiritu (LUC. III, 16). Et mors ergo Christi communis secundum naturam corporis, specialis secundum virtutem.

2930 Quis autem est Ioseph, cuius in tumulo ponitur? Utique ille iustus. Bene ergo Christus monumento creditur iusti; ut habeat Filius hominis ubi caput suum reclinet, et iustitiae habitatione requiescat. Bene autem novo, secundum litteram quidem, ne alius suscitatus a perfidis diceretur; mystice vere quid possumus intelligere, nisi forte quia legimus: *Sepulcrum patens est guttur eorum?* (PSAL. V, 11). Ergo sepulcrum patens est guttur hominis, in quo perfidia lethalis et mortua verba conduntur, quod per vetustatem et incursionem aliquam

bestiarum fatiscit et solvitur. Est ergo e contrario monumentum in secretis hominum, quod sibi in pectoribus duritiae gentilis penetrabili verbo iustus excidit, fidei atque doctrinae operibus perpolutum, ut praeterderet in nationibus virtus Christi.

2931 Cui pulcherrime lapis admotus est (MATTH. XXVII, 60), ne pateret; quicumque enim in se bene humaverit Christum, diligenter custodiat, ne cum perdat, neve perfidiae sit ingressus. Vides enim quia Petrus et Ioannes priores intrare meruerunt (IOANN. XX, 6, 8). Denique Ioannes ipse non antequam crederet, introivit.

2932 Et bene in petra excisum dicitur (MATTH. XXVII, 60), hoc est in fidei firmamento, de qua veri Israelitae dulcedinem mellis et oleum spirituale succurrunt. Sepelierunt autem Christum iustus, et qui Deum vidit; non enim sepeliunt Christum, nisi qui Deum credunt.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESI, VOL. III, SERM. 44).

2933 **L**IGNUM vitae in medio paradisi (GEN. II). In quibus verbis loquimur de amore fructuoso, quia lignum vitae affert fructum vitae; et etiam in hoc sermone loquimur de sexta Ala, scilicet, amore angustioso seu dolente; et quia vita non potest haberi et obtineri sine gratia, ideo oportet ipsam gratiam implorare, et ipsam gratiam non possumus hodie a consueta Virgine implorare, nec ad eam recurrere. Primo, quia nobis non adest adei recurri ad eam, considerato quod eius unigenitus Filius hodie est pro nobis vituperatus, flagellatus, et mortuus in crucis patibulo; unde propter hoc perdimus accessum. Item quia etiam nobis deficit potentia, si volumus eam salutare dicendo: Ave, Maria, quia ave significat sine vae, ab a, quod est sine; et vae; ipsa Virgo plena dolore ex passione sui Geniti potest respondere, quod hodie est magis plena vae, id est, tristitia, et dolore, quam fuerit aliqua creatura mundi; nam si vocabimus ipsam Mariam quae dicitur illuminata, quid poterit respondere, nisi quod ipsa est omni lumine privata? et si volumus ei dicere: Maria,

id est, amaram mare, et multiplicabitur dolor; et si dixerimus: Gratia plena, ipsa merito poterit respondere; imo plena poena, et dolore, et omni tristitia; nec possumus dicere: Dominus tecum; quia respondit: quomodo est Dominus tecum? Imo praedilectus Filius non tamen Dominus, sed tanquam servus vilissimus est mihi in cruce appensus, et cum iniustus deputatus, et a me est propterea sublatu; sed si dicimus: Benedicta tu in mulieribus; ipsa respondebit imo videor hodie mundo coeco maledicta; et si dixerimus: Benedictus fructus ventris tui, erit in memoriam illi revocare, et renovare et augere dolorem, et poterit dicere, quod inno perfidis Iudaeis eius fructus magis maledictus, quam unquam fuerit aliquis; si dicemus: Sancti Maria, ora pro nobis, ipsa dicit: Ego non possum pro me orando redimere filium meum, et multo minus hodie poterit pro vobis orare.

2934 Deficit etiam scire et velle, quod est ita absconditum in mente divina, quod ipsum alibi habere non possumus; unde non habemus hodie recursum, nisi ad crucem a qua talis et benedictus dependet fructus; unde, orando ipsam saluabimus lacrymabili voce dicentes: Ave, crux passiva. In proposito enim themate demonstratur amor fructuosus, de quo loquitur Ioann. XXII cap, dicens: *Ostendit mihi fontium aquae vitae splendendum tanquam crystalum procedentem de sede Dei, et agni in medio plateae eius, et ex utraque parte fluminis lignum vitae affertens fructus duodecim per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium; et omne maledictum non erit amplius et sedes Dei, et agni, in illa erunt, et servi eius servient illi, et videbunt faciem eius, et nomen eius in frontibus eorum; et non ultra non erit, et non egebit lumine lucerne, neque lunae solis; sed Dominus illuminat illos, et regnabit in saecula saeculorum.*

2935 Unde elevando mentem nostram in isto eloquio sancto, quia sunt quamplures intelligentes, et omnibus debitor factus sum, dividam in tres amores contemplandos. Primus est amor radicans, qui consistit in radice huius arboris ligni vitae; secundus est amor fructificans in quo videlicet duodecim fructus huius arboris vitae; et hoc erit pro intelligentibus, quia videbunt in his passionem Domini nostri Iesu Christi, in qua stupebunt; tertius amor erit sanans, quia folia eius ligni ad sanitatem gentium, et erit pro omnibus servatis. Et notetis bene vos, qui scribitis, quia declarabo vobis res de passione animae Christi in secunda parte, quod faciam, ut vos intelligentes videbimini illos recollecti, quia commemoratio passionis Christi non fit propter corpus, sed propter animam. Prima pars erit brevis; et sic habebitis

istam arborem in cortice, et in medullis, scilicet, in corpore, et anima Christi.

2936 Venio igitur ad primam partem, scilicet, ad fundamentum radices istius ligni; quia lignum vitae in medio paradisi, a quo anima capit cibum in medio paradisi, scilicet, comedendo eius fructum in hoc mundo acquirit gratiam, et postea gratiam in medio paradisi a sancta catholica Ecclesia, et habet tres radices secundum tria tempora continuo visa per animam Christi cum divino Verbo unitam; quia, ut scias, Christus verus Deus, et homo, per unionem quam habebat cum Verbo divino, cui omnia tempora praeterita, praesentia, et futura semper sunt praesentia, sciebat et habebat in praesentia omnia, quae futura erant de sua passione; unde Ioann. x cap: *Videns omnia, quae ventura erant super eum; quod videre illuminativum representabat illi omnes iniurias ei factas, et omnes iniurias, et peccata, quae unquam facta fuerunt ab Adam, et descendentibus ab eo usque ad eius incarnationem, et in utero Virginis; et postquam natus fuit; et sic omnia peccata quae fiebant, et futura erant ipse presentialiter semper habebat, et sic nulla fuit operatio praeterita, praesens, vel futura, quin fuerit semper a Christo presentialiter visa.*

2937 Et sic habes tres radices visionis Christi, scilicet, trium temporum, scilicet, praeteriti, praesentis, et futuri; de quibus visionibus fundamentorum, sive istarum trium radicum istius ligni, David Propheta Psal. LXXXVI, loquitur dicens: *Fundamenta eius in montibus sanctis, montes sancti sunt suum videre ista tria tempora praeterita, praesentia, et futura, de quo divino visu ipse Dei Filius erat illuminatus.*

2938 Eleva modo mentem tuam, et considera secundam partem duodecim fructuum cuiuslibet mensis huius arboris, qui continet dolorem, et amorem; nam cortex est amara, scilicet, dolor; et fructus est dulcis et suavis, scilicet, amor. Primus fructus dicitur privationis; secundus fructus est obligationis; tertius fructus est incisionis; quartus fructus est fornicationis; quintus fructus est contritionis; sextus fructus est compassionis; septimus fructus est deformationis; octavus fructus est offensiois; nonus fructus est receptionis; decimus fructus est ignorantiae; undecimus fructus est abbreviationis; duodecimus fructus est reverberationis.

2939 Capió igitur primos fructus, et omnis fructus nihil aliud est, quam amaritudo animae Christi, et illa amaritudo animae Christi erat cum voluntate et gaudio dolendi, quia secundum August: Nemo invitus bene agit; unde anima Christi tantum gaudebat, quantum dolebat. Primus igitur fructus, sive pomum primum dicitur fructus pri-

vationis; quia Christus benedictus considerabat tria tempora privationis aeterni regni, scilicet, praeteritum tempus, praesens, et futurum, quia videbat omnes tam natos ab initio mundi, et qui erant nati, et nascituros fore privatos, atque privandos gloria Paradisi. Hinc est, quod considerans, quod propter eius passionem omnes credentes debeant salvari, dolendo de eius passione, gaudebat, quod doleat propter istum fructum privationis dolendae, et redemptionis mediante eius morte faciendae.

2940 Et omnem fructum dividam in duas partes, et sic erunt viginti quatuor horae dicit naturalis, et sequetur Solem huius diei; quia est illa dies de qua loquitur Propheta: Ecce nox solum sibi nota, quia solus Deus novit illam diem. Nisi ipse Christus intelligebat quot animae debebant privari vita aeterna, et dolebat, et gaudio replebatur quod doleat, et tantum dolebat, et gaudebat de illo suo dolore, quantum erat bonum, quo bono privari debebant.

2941 Secundo propter longum tempus, quo privabantur. Primo enim, quantum erat illud bonum, quo privabantur? certe erat infinitum, et per consequens ipse habebat infinitum dolorem; quia si crearentur plures creaturae, quae unquam fuerint, erunt, et erunt, non possent comprehendere illum ineffabilem dolorem passionis Christi. Unde etiam infinite conqueerebatur de tanto tempore istius privationis; quia illud bonum quod exinde sequebatur erat infinitum; ideo erat infinitus ille suus dolor. Ex alio latere tantum dolens, quanto tempore videbat animas illo summo bono privari, et illud tempus illius privationis durare. Si ergo gustas saporem huius privationis, tu videbis, quod tantum dolebat, quantum erat magnum bonum, quod animae perdebat, et quantum erat tempus immensum, quo tanto bono debebant privari.

2942 Exemplum pono unius Reginae matris plurium filiorum expulsores de suo regno; quantum credis, quod ipsa doleat de expulsiōe suorum filiorum et privatione illius regni? certe tantum ipsa doleat, quantum esset valor illius regni, et secundum illud tempus per quod consideraret illos suos filios fore privandos illo regno; et tanto plus doleat, quantum plus sciret, et cognosceret magnitudinem illius regni, et quanto tempore videret illos debere esse exules a regno suo, ut dixi. Si fecit Dominus et Redemptor noster Iesus Christus, quia secundum valorem privationis, et peritii paradisi, et prohibentem temporis, quo illa privatio durare debebat, habuit passionem doloris. Fuit ergo sua cum ratione voluntas, quia gaudebat de suo dolore, per quem humanum genus a privatione tanti boni, et tam longa redimeretur; unde Is. XXIX:

Tristis erit, et tristis apparebat non solum pro propria passione, sed pro nostra dispersione, non quod essemus damnati, gaudebat, quia tunc, ut salvaremur, tantam poenam offerebat se solatorem pro nostra salvatione; tantus erat eius amor!

2943 Secundus fructus est obligationis, quia Christus gloriosus intelligebat omnes qui erant obligati inferno, et debebat, quod incurrerent tantum malum infinitum, sicut infinitam esse intelligebat poenam inferni, et tantum quantum erat tempus illorum, qui erant inferno deputati. Ergo quanta est poena damnatorum, et futuram intelligebat, tantam poenam portavit Christi anima benedicta, et quanta erat ira Dei adversus damnatos implacabilis, quia in inferno nulla est redemptio; et sic erat dolor ille infernalis in anima Dei, et totum illum dolorem ferebat in eius mente ex compassione¹.

2944 Exemplum. Si esset una mater habens filium, et videret ipsum capi, et in atro carcere trahi, et ad proprium carcerem condemnari, et nunquam speraret amplius se visuram ipsum, quantum doleret illa mater? certe ipsa tantum doleret, quantum intelligeret poenas filii sui fore magnas, et quantum videret iram illius damnationis, quae condemnasset eum, fore implacabilem versus ipsum. Ita erat in Christo, videndo poenas infinitas inferni, et iram Dei infinitam, et implacabilem adversus damnatos. Erat igitur tanta poena in anima Christi, quanta datur, aut dabitur in perpetuum omnibus damnatis; unde Propheta Regius, Psal. cxlii: *Collocavit me in obscuris sicut mortuos sacerdoti, et auaratus est spiritus meus super me. Ecce una pars huius pomi, sive fructus huius, ibi: Sicut mortuos. Ecce alia pars huius pomi, in obscuris, scilicet, in inferno, ubi nullus est ordo, sed simpliciter horror* (Iob x, et privatio lucis, et omnis boni; unde eius poena [lato quodam sensu] poterat dici infernalis.

2945 Tertius est fructus, seu pomum incisionis, quia Christus tantum dolebat, et tot dolores habebat, quot intelligebat fore corpora damnatorum, quae dividi debebant ab eo, et quanta erat infirmitas illorum, qui debebant dividi ab eo. Vis bene intelligere hoc? Pone quod sit unus, cui incidatur omnis iunctura membrorum; quot dolores sentiet ille? certe tot dolores sentiet, quot iuncturas abscissas habebit; sic erat in Christo, cuius sumus membra, a quo separamur ob peccata nostra; quia tot dolores habebat, quot peccata nostra; quia tot dolores habebat, quot animas intelligebat separari propter peccata ab eo. Et quando unus praecatus dividitur a Christo, tunc evellitur unus oculus Christo; et si est unus praedicator divisus

¹ Verba *dolor infernalis, dolor infinitus* et similia, multigatum sensum postulant, ut patet.

ab eo, tunc abscinditur ipsi lingua; si est unus peregrinus, tunc abscinditur illi pes; si est elemosynarius, abscinditur ei manus; et sic de aliis; et iste erat ei unus dolor immensus. Adhuc modo supradictis doloribus poenas infinitas, quas habebat, quia est caput omnium; nam habuit tot poenas, quot intellecti fore infirmitates in membris suis, scilicet, in nobis, qui sumus membra eius, quas infirmitates ad nos militi Deus propter peccata, per quae peccata membra abscinduntur, et separantur ab eo; unde renovatus est ei infirmitas dolor abscissionis tot illorum dolorum; unde Thren. i: *Foris interfecit gladius, et intus est mors similis, foris est incisio hominis, et animae Christi dolor intrinsecus; quia intus est anima, et foris est corpus; unde quando homo per peccatum est abscissus, intus in anima Christi est dolor peccati similis morti propter separationem hominis a se, qui mittitur in profundum propter peccatum.*

2946 Quartus fructus est pomum fornicationis, quia valde dolebat, intelligens, scilicet, animas amare ex totis visceribus mentis plus mundum, et res caducas, quam Deum; et ita postponendo amorem divinum mundanis rebus animae taliter fornicarentur. Unde ex hoc valde dolebat, quemadmodum si Imperator mundi nobilis quidam acciperet in suam unicam et legitimam uxorem unam pauperulam villicam, quam vestiret purpureis vestibus et eam sub eodem throni velo locaret, et ipsam amaret ultra alias creaturas, et ipsa submitteret se uni luxurioso; quantum crederes, quod doleret Imperator eius maritus? certe tantum dolorem haberet in eius mente, quantum est amor ille, quo eam adamabat, et quanta esset gratia qua eam decoraverat. Ita facit Christus, qui de stercore erigit pauperem animam, et tantum dolebat, quanta erat fornicatio animae, et quantum erat amor, quo eam prosequabatur. Sed quot fuerant, sunt, et erunt animae fornicatrices? certe innumerabiles, et certe tot dolores ipse Christus in eius anima habuit. Item tot dolores sustinuit, quot animas amavit, quae fornicatrices fuerunt, et erant, et fornicatrices futuras esse intelligebat, quarum numerus est infinitus; unde Hieronym. de humana generatione loquens, inquit: *Tot autem passus est dolores, quot animas amavit, et quot animas fornicariae fuerant, erant, et esse futuras intellexit, quia omnia palam habebat.*

2947 Quintus fructus, sive pomum est contritionis, quia Christus tantum dolebat, quantum videbat multitudinem peccatorum, et eorum magnitudinem, et horrorem intelligendo, quod omne peccatum mortale privat animam gratia Dei, quia omnia peccata mundi praesentia, praeterita, et quae futura erunt, ipse Dei Filius ita habebat

praesentia, sicut tu habes istud pulpitum, quia tanto plus videt te, quantum visio creatoris exsuperat visionem tuam, et omnes creaturae sine aliqua comparatione. Et vos, peccatores nunquam peccati rei estis, quin viderit ante quando fuistis in rerum natura; et tu o foemina, nunquam fornicaris, quin te videat. Caveto ergo. Unde Ioann. in Apoc. i: *Videbit omnis oculus, et qui eum proptergerunt*. Et sic istud pomum est divisum in duas partes, quia videbit multitudinem peccatorum, et eorum magnitudinem.

2948 Exemplum. Tolle quemdam patrem habentem filium, qui pater timeat Deum, et diligat filium, sed maxime eius animam; iste pater videt hunc filium suum committere homicidium, certe tantum dolet de illo homicidio, quantum ipse pater amat Deum, et ipsum timet, et quantum amat animam filii sui; et sic propter duas causas dolet, quia prima deservit Deo, et de hoc tantum dolet quantum amat Deum; secunda quia dolet propter amorem, quem defert filio tantum, quantum est amor filii. Ita occurrebat Christo; considerata magnitudine, et altitudine peccatorum, et eorum multitudine, ex anima Christi exibat infinitus dolor, quia et ipse est infinitus, et peccata sunt infinita. Tu vides, quod unum peccatum mortale est infinitum malum et tam grande, et infinite offendit Deum, et est causa tanti doloris ei; propterea cave quantum potes, ne pecces. Unde Ierem. ii cap.: *Magna est velet mare contritio tua; quia sicut innumerabiles sunt tempestates maris, et innumerabiles sunt peccata, et quoniam grande est mare, ita innumerabiles fuerunt dolores Christi, et tam magni.*

2949 Sextus fructus, sive pomum est compassionis, quia tot dolores habebat Christus, quot erant martyrum dolores et supplicia, qui debebant sufferre passionem pro eo, et quot erant iusti qui debebant affligi propter eius nomen. Tolle ergo modo labores et poenas omnium suorum martyrum, et confessorum, et iustorum; ipse Christus sentiebat omnes poenas, quae ipsi senserunt, et similiter sensit omnes poenas, quae tulerunt viri sancti, et Prophetae pro eo, sicut habes in Testamento Veteri, et etiam poenas aliorum martyrum futurorum usque ad finem mundi; et sic sentiebat poenam S. Laurentii, et habebat maiorem poenam quam postea habuit S. Laurentius; et sic de S. Stephano, et de aliis, quia in praesentia videbat futura, praesentia, et praeterita, et omnibus istis ipse compatiebatur valde.

2950 Ita compatiebatur Confessoribus, Praedicatoribus, et aliis quibuscumque se affligentibus in aliis bonis operationibus propter eum; et tu nunquam dixisti unum *Pater noster*, cum labore quin Christus senserit illum laborem, et sic de ieiunio quod

factis, et de aliis bonis operibus, quae factis pro eo. Similiter si vides aliquem offendere Deum, et tu doles de illa offensa, tantum dolet Deus quantum fuit tuis dolor, et plus; et compatitur ad instar matris habentis filium, quem videbat suspendi, membratim lacerari, et cruciari; quantum dolorem crederis quod habebit illa mater dolorosa? certe tantum dolorem habebit quantum dolorem et poenam videbit suum filium pati. Similiter Iesus Christus videns poenas omnium suorum martyrum, quas pro suo nomine passi fuerant, patiebantur, et pati debebant, tot poenas patiebatur, quot poenas passi fuerunt, et passuri erant. Similiter si tu videres tuum filium unicum letanare, et valde infirmari, vel valde doloribus oppressum, quantum dolerem haberes? certe multum, et magnum; sic fecit Christus Confessoribus, Praedicatoribus, et aliis suis servis; unde David Psal. xxx: *Sicut aqua effusus ston, divide in duas partes, et: Dispersa sunt omnia ossa mea*. Ossa Christi fuerunt sancti martyres, qui fuerunt cruciati, sicut aqua significat confessores fatigatos.

2951 Septimum pomum est deformationis, quia tantum dolebat Christus, quod anima esset deturpata, quantum ipsa anima est grandis, et pulchra, et eius imago, et similitudo; nam imago Dei est infinita, similiter et similitudo; unde Christus videns imaginem suam fore ita deturpata in nobis, et eius similitudinem, quanta est magnitudo ipsius imaginis et similitudinis, quas habemus cum ipso Deo, tantum dolebat; et quia est eius imago infinita, ideo infinitus dolebat de turpitudine ipsius animae, quam videbat ad instar matris, quae haberet unum pulcherrimam filiam, circa quam poneret totum suum studium, ut appareret pulchra, ut bene nuberet, et eius facies efficeretur tota leprosa, et capilli splendidi caderent, et efficeretur calva, et tota deformaretur; certe ista mater tantum doleret quantum esset amor, quem illi deferret, et quanta erat sua pulchritudo deperditum, et spes quam habebat ad eam marito bene tradendum. Ita fecit Christus de anima nostra deturpata in lepra peccatorum; unde Thren. iv cap.: *Denigata est super carbones facies eorum; unde ergo Christus habebat infinitum dolorem, sicut eius magni pulchritudo est infinita, et quanta est infinitas culpae a peccatoribus perpetratae.*

2952 Octavum pomum est offensionis; et divide istud pomum, quia Christus infinito dolebat quantum amabat Patrem aeternum offensum, et quantum amabat creaturas ipsam offensum; et sicut infinite amabat Patrem, et creaturas, ita infinite dolebat, ad instar patris habentis unum bonae indolis filium, et tres filios malos, qui pater esset bonus, sapiens, et gratus Deo et mundo, et tres filii

nequissimi venirent ad tantam iniquitatem quod verberarent patrem, et percuterent lapidibus, et blasphemarent eum, et saevirent in eum; certe bonus filius tantum doleret, quantum amaret patrem suum et fratres suos. Ita facit Christus videns Patrem aeternam esse tantum offensum, qui est infinitus; infinite dicitur, et quantum ipsum amabat, quia infinite, et quantum amabat peccatores ipsum offendentes; unde David, Psal. cviii: *Fiant filii eius orphani, et uxor eius vidua*: quia anima faciens unum peccatum mortale occidit Deum et sufficit eius malitia, quamvis ipse non sit mortalis; unde si velis occidere Papam, vel Regem, licet non existas fervens in tuum malum propositum, quia tu ipsum non occidisti tantum ex parte tua, perinde est ac si ipsum occidisses, sic est in peccatore, quia peccatum mortale vult dicere, quia auferit vitam ubi est, sicut dicitur, Matth. v: *Qui videt mulierem, ad concupiscendum eam, iam uocatus est eum in corde suo*, licet non venerit ad actum.

2953 Unde peccare mortaliter nihil aliud est quam occidere te, et Deum, et privare te Deo, quia privatur omnium vita, et infinito bono, quia est infinita mors, et tollit vitam, ubi est; nam anima habet vitam ab illo, qui est vita, iuxta illud, Ioann. xiv: *Ego sum vita, veritas, et vita*. Unde quaelibet res, quae habet vitam, sicut arbores, plantae, herbae, vermes, bestiae quadrupes, pisces, aves, omnes daemones, et Angeli, et quaecumque cetera habent vitam, illam habent a Deo, qui est vita; et non essent elementa, nisi esset ille Deus, in quo consistit vita, et est vita vivendum: unde quomodo sint quantum naturae, scilicet, natura creata corporalis, et natura creata rationalis, et natura creata spiritualis, et natura naturans divinalis, et quomodo tu peccas mortaliter quantum in te est, tu occidisti Deum, qui est vita, quia regnando in te infinita mors, deficit infinita vita in te, quantum est ex parte tui, et sic tu tollis esse vitale corpori tuo, et similiter, animae; ex quo tollis vitam animae, tu tollis gloriam Angelis, et sic deficient gloriae Beatae Mariae Virginis, et omnibus aliis sanctis paradisi, quia non potest esse gloria paradisi sine sanctis.

2954 Tu ergo quomodo peccas mortaliter occidis animam tuam, et tuum corpus, Beatam Virginem, Angelos, et Sanctos, etc. et quia si esses beatus aufereret gloria paradisi per te, quae consistit in sanctis, et sic auferetur gloria Sanctorum omnium et Angelorum, ac Beatae Virginis, unde occidendo animam tuam per peccatum, occidis in te Deum cum omnibus dependentibus ab eo; unde solet dici: *Fiant filii eius orphani*, quia filius occidit Patrem, et uxor eius vidua. Considera ergo quan-

tum dolorem habuerit Christus Filius Dei, qui videns occidere Patrem et Matrem, Beatam Virginem, Angelos, et omnes Sanctos toties quoties peccatores peccant mortaliter, quia tantum doluit quantum amabat Patrem, Matrem, angelicam naturam, sanctos, et ipsos peccatores.

2955 Nonus est dolor reclusionis, et significat quod Christus videbat quanto tempore debebat vivere, et tempus quo debebat mori, et recedere de hoc mundo; et sic duo videbat, scilicet, dolorem, quem sufferre debebat morte, et passione sua, et amorem, quo se amabat qui erat moriturus; et tantus erat eius dolor, quantus erat ille dolor, quem ipse portare debebat in patibulo durae mortis, qui dolor erat infinitus, et ideo infinite dolebat ex illa parte pome, quia se infinite amabat, infinite etiam ex hac parte dolebat; amabat enim se propter se, et secundario, quia videbat suam mortem fore salutiferam animabus; unde, dividendo illud pomum Christum tantum dolebat quantum amabat, quia infinite. Et sic considera, quod in eius anima fuit infinitus dolor, exemplo sapientissimi davis, qui esset dux sui populi, et videret se comburendum, vel moriturum, et non posset evadere, et intelligeret poenam illius suae durae mortis; et ab alio latere consideraret iacturam sui populi propter suam mortem, quia videret se esse valde utilem populo, certe multum doleret propter illa duo, et tantum quantum plus saperet, et intelligeret illa. Ita Christus, qui infinite intelligebat, et se infinite amabat, ita infinitum habuit dolorem in mente sua; unde Ioann. xviii: *Videns omnia, quae ventura erant super eum, orans in herbo inquit: Tristis est anima mea usque ad mortem* MATTH. xxvi; quia licet non habeam illum dolorem per experientiam, tamen illum habeo per intelligentiam, et vide si erat magnus dolor ille, quia factus in agonia guttae sanguinis decurrerunt usque in terram, etc., sicut Luc. xxii.

2956 Decimum pomum est ignorantiae caecitatis humani generis; quia primo cognoscebat, quod eius incarnatio non debebat intelligi a natura humana. Secundo, quia cognoscebat infinitum beneficium suae incarnationis, et tantum dolebat, quantum erat illud beneficium suae incarnationis non intellectum, et quantus erat amor, qui fecerat ipsum incarnari; et ista duo mysteria ipse intelligebat et infinite dolebat, quod non erant intellecta ab anima, et quantum amorem ipse ostendebat in tali sua incarnatione, quia virtus venit in Maria Virgine: *Et sic Deus dilexit mundum*, ecce primum: *Ut Filium daret mundo* (IOANN. III), ecce secundum.

2957 Exemplum. Si esset unus pater habens filios, et causa dilandi ipsos laboraret diu, exponendo se

multis periculis maris, et senex factus videret filios non cognoscere hoc, et fore ingratos versus patrem, et male se tractare, quantum doleret senex pater? certe tantum, quantum fuisset beneficium illud, et quantum amorem sibi ferret; sed beneficium, quod nobis donavit Deus se incarnando est infinitum, et non est appetitum in mundo caeco, neque cognitum, quia facit nos filios Dei participatione, et gloriosos; et videns nostram ingratitudinem, contemplare anima, quantum dolebat et quantum dilexit nos, et labores suos quos portavit pro nostra salute usque ad mortem crucis; unde si propter hoc non lacrymaret, valde est induratum cor tuum, et illud dedisti morti. Unde Ambrosius: Tristis erat, quia parvulos nos relinquere; quasi dando tibi unum aliud exemplum magis tritum; quia si moriendo reliqueres post te plures filios tuos parvulos cum una mala matre, et pravis affinis, et coniuictis, et si pro explorato et certum tibi esset, quod te mortuo, omnes spoliarent ipsos, et nullam eorum curam et sollicitationem haberent, quantum doleres? et si interim videres filios tuos ludere in conspectu tuo quid diceres in corde tuo? certe si vos intelligeris hoc, vos fletis mecum. Sic fuit in Christo nostro Redemptore, qui infinite dolebat de nostra caecitate, et beneficio nobis dato non cognito, et nostra perditione, quam non intelligimus.

2958 Undecimum pomum fuit abbreviationis, in quo praevidebat Christus breviter tempore, in quo debebat manere in praesenti mundo, et dolebat secundum humanitatem de sua morte futura; et divide pomum, quia primo considerabat meritum, quod acquirere mundo in sua conversatione, quae erat infinitae utilitatis et infiniti meriti; quia omnino actus Christi erat infiniti meriti; quod infinitum meritum brevis temporis, quo debebat permanere in praesenti vita, aufereret humano generi; ex alia parte videbat se in brevi passurum et moriturum. Propter quae duas praemeditationes Christus tantum dolorem habebat quantum erat illud infinitum meritum, quod promeretur degendo in mundo, et quanta futura erat poena suae durae mortis: ad instar unius generosissimi viri, qui faceret unum praeclarum opus quod foret factum in mundo, et esset sapientior homo mundi, et iuvenis; quantum doleret mori considerando utilitatem et meritum, quod deberet sequi, qui dolebat infinite de merito, quod de sua conversatione sequebatur, et illud perdebat, et de sua morte cito futura, unde Isaia lxxxiii: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*.

2959 Duodecimum pomum fuit reverberationis, quia Christus videbat Matrem suam, dum penderet in

cruce, totam transformata, et esse ita crucifixam, sicut erat ipse Christus, quia erat unita cum Christo, et contra, adeo quod totus dolor Virginis Mariae reverberabat in Christo, et contra, iuxta illud Luc. ii: *Ipsius animam pertulit gladius*: unde ipsius Virgulus dolor erat maior et plusquam omnes creaturas mundi possit portare in tantum, quod si ille dolor foret partitus et divisus inter omnes creaturas mundi vitales, caderent mortuae, quia quanto plus amabat Christum Virgo beata, tanto plus dolebat, et amor suus, quem ipsa portabat. Christo eius unigenito Filio, erat [quasi] infinitus; ergo eius dolor erat [quasi] infinitus.

2960 Et fac duas partes de isto pomo. Prima est, quia ipse Dei Filius Christus gloriosissimus tantum dolorem portabat, quantus erat amor, quem portabat Virgo benedicta, et contra, et quantum Christus de ipsa condelebat; et exinde ipse Deus infinitum dolorem sentiebat coniungendo utrumque hinc inde; exemplo matris sapientissimae videns publice affligi filium suum magni intellectus et prudentissimi, quia filius habebat dolorem suum et tantum maiorem dolorem ex afflictione Matris, quantus erat amor immensus quem habebat ad eam, et quantum afflicta videbat eam; ita erat in Christo et plus sine comparatione, iuxta illud Ierem. i: *O vos qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor*, per reverberationem, sicut *dolor meus*, scilicet, quia omnes dolores mundi, et alii superscripti, si essent simul coniuncti, non essent tot et tanti, quantus fuit dolor gloriosae Virginis Mariae reverberati et recepti cum illa crucifixissima passione Christi; et iste est magnus sensus animae elevatae in Christo.

2961 Ego volo formare tria dubia. Primum est, quare dolebat Christus de damnatione peccatorum, ut supra dictum est, ex quo ipse videbat causam damnationis ipsorum, quod non dolebat de passione ipsius Christi. Secundum dubium est, quomodo voluntas Christi est uniformis cum voluntate Dei, et ipse Deus non dolebat de damnatione ipsorum damnatorum, quare ergo dolebat ipse Filius Dei, qui in omnibus debet convenire cum mente divina; quomodo nec sancti dolent de impiorum damnatione, qui sunt conformes cum mente divina; multo magis debet gaudere, et non dolere Christus adhuc existens in peregrinatione. Ad quorum duorum dubiorum declarationem, nota, quod anima Christi habebat duo obiecta; unum obiectum divinitatis, in quantum erat Deus, et aliud obiectum humanitatis, in quantum erat verus homo; unde in quantum habebat obiectum divinitatis ipse Dei Filius non dolebat quemadmodum nec Angeli, neque Beati dolent de damnatione ipsorum, lino

gaudent etiam si viderent animas parentum et filiorum damnari, quia eorum animae sunt conformes voluntati divinae, sed Christus in quantum homo et viator habebat omnes dolores, quos tibi supra dixi, et plures, imo plus, quia Deus volebat, quod ipse eius Filius sic vellet, iuxta illud, Psal. I.III: *Voluntarie sacrificabo tibi, etc.*

2962 Sed si diceres, quare ergo Christus in quantum homo non moriebatur in ipso instanti, ex quo habuit tot infinitos dolores, sicut superius demonstratum est? quia si illi dolores, quos ipse passus fuit, fuissent partiti et communicati inter omnes creaturas mundi, omnes subito mortuae prae nimio dolore fuissent. Ego respondeo tibi, secundum naturales, nullus potest mori in hac vita ex dolore aliquo, nisi dolor ille communicetur sensualitati, et animae sensitivae; unde licet Christus perciperet tot dolores in anima sensitiva, tamen donum fortitudinis divinae tenebat illum dolorem reclusum ita, quod veniret ad partem animae sensitivae, et non [plene] communicaret sensualitati Christi, donec pervenit ad illam punctum, ubi ipse dixit, Matth. xxv: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

2963 Tertium dubium est, quare erat necesse quod Christus pateretur tantam poenam et tot dolores? Respondeo, quod fuerunt quinque causae, quae inducerunt Christum ad tantum dolorem et poenas sustinendas; et facio differentiam inter dolorem in corde et poenam in corpore; et ipse Dei Filius voluit portare utrumque quandoque rationibus contradicentibus. Prima causa fuit ad honorandum patrem ex sua sanctissima vita et virtutibus, quae fuit tantum honoris Patri, quod omnes alii Sancti non potuissent honorare tantum ipsum Deum Patrem et Creatorem omnium, quantum fecit Christus cum illo suo dolore, qui excessit omnes dolores omnium creaturarum in infinitum. Secunda causa fuit, ut satisfaceret aeterno Patri mediante eius unigeniti Filii immenso dolore de offensis et iniuriis sibi illatis a nobis. Tertia causa, quia voluit tantum dolorem sufferre ad ostendam viam coelorum nobis, ad quos coelos tu ascendere non poteris sine poena, et nisi efficiatur tua anima humilis, quis via quae ducit nos ad vitam est arcta; et vos, o caeci et stulti vos non poteritis intrare regnum coelorum, nisi per viam Christi, quia ipse Christus est ostium, per quod oportet ingredi qui vult intrare regnum coelorum, aliter autem qui vult aliunde intrare quam per ostium, *fur est et latro.* (IOANN. 8). Itaque si vultis intrare coelum, intrate per viam Crucis Christi. Nam, ut ait Lucas, cap. xxiv: *Operuit Christum pati, et sic intrare in gloriam suam;* et Apoc. I: *Primo-genitus mortuorum, et Princeps regum, et Luc. vi: Et non est discipulus super ma-*

gistrum; et ipse Dei Filius ostendit, et aperuit nobis viam ad intrandum paradisum poenis et doloribus crucis. Et vos fatui creditis cum vestris gaudiis et mundanis delectationibus intrare vitam aeternam? discite ergo a magistro vestro Christo; exemplum etiam dedit nobis, ut quemadmodum ipse fecit, et nos faciamus, etc.

2964 Quarta causa, quare voluit portare tot et tantos dolores fuit, ut satisfaceret Deo pro nobis, et sic liberaret nos solvendo debitum nostrae culpae poena sua, quam portavit pro nobis, a vinculis inferni et a potentia diaboli, quia insittia Dei volebat, quod tantum restitueretur Deo, quantum fuerat illi ablatum; unde nullus mortalis propter peccatum primi parentis poterat intrare regnum coelorum, nisi solveretur illud debitum, quod persolvere nullus erat sufficiens, nisi Christus. Unde Christus propter eius meritum solvit vinculum nostrae obligationis cum multiplici et infinita eius poena, quia oportuit ipsum pati, et sic intrare gloriam, et parare nobis viam, ad significandum quod similiter et nos facere debemus: ita quod Christus voluit sustinere tantum dolorem ad restituendum Deo illud, quod ipse habere debebat, quia infinita culpa erat ei facta per creaturam, ut supradictum est.

2965 Quinta causa fuit, ut demonstraret perfectionem vitae perfectae, quae consistit in laboribus et poenis; et omnes qui perfectionem huius vitae fugiunt, non poterunt salvari. Et considera quod Beata Virgo, Apostoli, et omnes Sancti intraverunt in regnum coelorum per istam viam perfectionis vitae aeternae; et tu credis cum tuis vanitatibus et gaudiis attingere huius vitae perfectionem? Certe tibi ipsi sic illudendo, diabolus tibi illudit.

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.
IOANN. XIII, 1-15.

ANTE diem festum Paschae, sciens Iesus quia vixit hora eius ut transiret ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

2. Et coena facta, cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotae:

3. sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit:

4. surgit a coena, et ponit vestimenta sua: et cum accepisset linteum, praecinxit se.

5. Deinde mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quod erat praecinctus.

6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?

7. Respondit Iesus, et dixit ei: Quod ego facio, tu necis modo, scies autem postea.

8. Dixit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in aeternum. Respondit ei Iesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.

9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput.

10. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.

11. Scibat enim quisdam esse qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes.

12. Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua: cum recubisset iterum, dixit eis: Satis quid fecerim vobis?

13. Vos vocatis me Magister, et Domine: et bene didicistis: sum etiam.

14. Si ergo ego lavi pedes vestros, Domine, et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes.

15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

Homilia S. Petri Damiani.

SERM. 40 IN COENA DOMINI.

2966 **H**ODIE, fratres charissimi, dum Coenae Dominicae sollemnia celebramus, plurima virtutum coelestium sacramenta recolimus. Hodie namque Salvator noster, qui caput est Angelorum, dum suis Discipulis vestigia terst, verac nobis humilitatis exemplum manifeste proposuit: ut quod impendit Dominus famulis, servi non deignantur exhibere conservis, et pulvis non denegat pulveri, quod sibi congruere tantae visum est maiestati. Ubi cum Petrus obsequium suscipere summi Praeceptoris abnueret, et ille minas repulsionis, nisi se lavari permitteret, intenterat; tremefactus tandem, et insistens imperio protinus acquiescens, ait: *Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput.* In quibus utique verbis beatus Apostolus opera nostra, simul et cogitationes, ut a Domino purificentur, atque mudentur, indigere signavit. Si quidem manibus operamur, cogitationes autem ex mente, quae caput est interioris hominis profuerunt. Vera ergo, ac perfecta purgatio est cum Deus omnipotens non solum opera nostra munda, et immaculata custodit, sed etiam pravae cogitationes a cordibus nostris sancti Spiritus infusione repellit.

2967 Hodie Salvator terreni panis, ac vini speciem, in sui corporis, et sanguinis sacramenta convertit, suisque Discipulis vitalis alimoniae pabulum ministravit. Cibus enim ille vetustus, quem primus homo, intumescente superbia, et gula pruriente, percipit, per universa eius viscera vitiorum omnium, ac mortalis corruptionis venena diffudit. Contra hoc igitur lethale virus antidotum a Christiano populo sumitur, per quod spiritualis morbi pestilentia salubriter evomat. Huius novi sacramenti virtute fermentum illud condemnatae vetustatis expellimus; ut de servitute ad libertatem spiritus, et ad nova regenerationis azyma transeamus.

2968 Hodie sacrum Chrisma conficitur, per quod in nobis omnium coelestium charismatum sanctificatio confirmatur. Hoc videlicet illud esse sacrosanctum Chrisma cognoscitur, quod non modo Sacerdotes, Reges, atque Prophetas unxit in veteri Testamento, sed etiam sanctos Apostolos, Martyres, et Confessores sanctificavit in novo. Hodie etiam nos oleo divinae virtutis inungimur, ut in spiritualis palacstrae certamine collictantes, de subactis atque convictis hostibus triumphemus. De quo nimirum oleo Propheta dicit: *Computrescet iugum a facie olei.* Nam cum per hoc divini chrismatum Sacramentum libertatis nobis spiritus redditur, servitutis antiquae iugum in putredinem, necesse est, redigatur. Hoc mysterium Chismatum Propheta David indubitanter agnovit, cum vultus nostros in oleo exhilarando esse cantavit. Enimvero cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso; futuri muneris columba similitudinem praetulit, cum olivae ramo pacem terris redditam nuntiavit. Ait enim Scriptura: *Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit Noe columbam ex arca. At illa*